



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Delectatio debet esse discreta: quòd si modum excedat, vitiosa est & damnabilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

104 Delectatio morosa.

qui non curant seruare illafos inuasores, quum pof-
funt aliter defenfionem exercere. Secundo ex immo-
deramine tutelæ, vim enim vi repellere licet, fed cum
moderamine inculpatæ tutelæ. Et intelligitur de im-
moderamine ex proposito, qui enim putat moderatè
defendere, & præter propofitum non aduertendo ali-
qualiter excedit, aut non peccat, aut leuiter: quum
humana actio in exercitatione exteriori accensa, non
omninodæ subdatur menfuræ.

*Delectatio debet eſſe diſcreta: quòd ſi
modum excedat, vitioſa eſt
& damnabilis.*

Delectatio morosa (hoc est voluntaria delecta-
tio de actu malo cogitatio sine voluntate exe-
quendi cogitatum actum illum malum) exigit ex du-
plici capite discretionem, scilicet ex parte consensus,
ex parte actus, de quo est delectatio, qui actus dicitur,
& est obiectum delectationis. Ex parte siquidem
actus obiecti iuxta naturam actus de quo est, delecta-
tio iudicanda est: ita quod si actus de quo quis cogi-
tando delectatur, est peccatum mortale (puta adul-
terium, furtum, homicidium &c. ipsa quoque moro-
sa delectatio est peccatum mortale, & si actus de quo
quis cogitando delectatur, est peccatum veniale (pu-
ta iocari verbis lætis, comedere lautè &c.) ipsa quoque
morosa delectatio est peccatum veniale. Ex parte ve-
rò personæ iuxta veritatem deliberati consensus iu-
dicanda est. Nam si persona cogitando de actu quan-
tumcunque malo delectetur non aduertendo ad id
de quo delectatur (ita quod si aduertet, non appro-
baret) non est ibi peccatum mortale, etiam si per vnū
diem sic inaduertenter cogitaret & delectaretur: quia
non potest esse mortale peccatum sine rationabili
consensu, qui in proposito deesset. Si vero aduertere
incoepit,

Delectatio morosa. 103

Incepit, & prævalente impetu concitatae passionis non plenè aduertit: sed antequam plenè aduertat delectatio facit cursum suum: peccatum non mortale, sed veniale interuenit: quia sicut inaduertentia excusat à mortali, quia excusat à deliberatione, ita non plena aduertentia excusat à mortali propter eandem rationem, scilicet quia excusat à deliberatione, sine plena enim aduertentia non habet humana mens ut deliberet. In cuius testimonium excusantur à somno pollutionis surgentes si quid mali ei complacet, donec plenè aduertant quid eis incumbit. quod enim illi patiuntur propter somnum, illi patiuntur propter passionem inuoluntariam. Si autem plenè aduertit, & positiuè consentit in illam, peccatum iam patet, & similiter si positiuè dissentit, virtus iam patet. Sed si positiuè non consentit, nec dissentit, & tamen in illa cogitatione delectabili perseverat, conuincitur consentire ex ipsa continuatione delectationis non prohibita à voluntatis imperio quādo potuit, & debuit, quia tunc mens hominis operam dabat actui peccati mortalis quantum est ex parte actus, sed excusabatur à mortali, ex eo quòd nō erat voluntarius. Accedente autem tempore quo voluntas potest prohibere mentem à continuatione huius mali actus, tenetur voluntas prohibere: sicut teneretur manum cohibere à prosecutione alicuius actus mali inchoati in somno, alioquin sibi imputaretur tanquam voluntarius. Et verè esset voluntarius negatiuè, & ex negligentia: quia potuit & debuit prohibere, & non prohibuit.

Magna tamen hic opus est discretione quum de timoratis conscientis agitur. Discernere siquidem oportet causam, quare continuatur illa cogitatio delectabilis. Nam si ex complacentia delectationis illius prouenit, quod negligit prohibere continuationem illam, voluntaria fit delectatio, & verè morosa, ut di-

106 Delectatio morosa.

Annus est. Si autem non ex complacencia, sed ex non æstimatione commotæ cogitationis & delectationis negligētia prouenit (puta quia scit voluntatem suam constantem & confidit quod propter huiusmodi commotiones phantasie & concupiscentiæ non ruet in consensum malum) peccat quidem: quia potest & debet conari ad repellendum huiusmodi intima bella & pericula maxima, & quantum in se est, implere illud, Persequar inimicos meos, & non conuertar, donec deficiant. Non peccat tamen mortaliter: quia in veritate, iste dissentit, virtualiter saltem: imò putat se non actiuè continuare cogitationem illam delectabilem sed se pati illam: & tanquam tentationem, non tanquam propriam operationem apprehendit illam: ac per hoc confidens de non consensu suo, parum facit illam cogitationem delectabilem tanquam debilem hostem ad sui impugnationem. Vnde negligentia ista non cadit super actu intrinseco voluntatis, scilicet consensu vel dissensu ad velle continuationem talis delectationis: sed cadit super conatu ad repellendū illam tanquā hostē. Et propterea iste non perseverat in cogitando delectabiliter de illo actu: sed phantasia delectabilis molestando ipsum perseverat in illo, formaliter loquendo. Et hæc ex parte consensus sufficiant.

Rursus ex parte rei de qua est delectatio, discernere oportet quatuor. primum, an delectatio sit de opere cogitato, vel de ipsa cogitatione, verbi gratia, si cogitatur bellum aliquod cum delectatione, utroque modo contingit delectari. aliqui enim delectantur de operibus cogitatis puta de homicidiis, vulneribus, præliis, incendiis &c. Et hi sunt qui sunt affecti ad huiusmodi facinora. Aliqui autem delectantur de ipsa cogitatione, delectatur enim naturaliter anima nostra in conferendo, & præcipuè noua aut mira, vt
testatur

Delectatio morosa. 107

testantur comediæ. Testantur & multorum otia, dum ingrediuntur hortos stultorum. Et sicut diximus de bello cogitato: ita contingit in materia venerea: & aliis, quidam enim cogitantes de turpibus, non delectantur de actu cogitato, sed de cogitatione: dñi occurrit aliquis subtilis modus malè operandi: ita quod cogitatio illa tanquã subtilis aut mira se aoua inhaerens animæ, parit delectationem. Et hoc videtur accidere præcipuè curiosis & affectis ad subtiles inuentiones. Aliqui autem delectantur de vtroque. s. de cogitatione & actu cogitato. Et licet difficile alicui videbitur discernere vnde delectatio insurgat, nõ debet tamen difficile videri, vt discernat quod mouet ipsum ad complacentiam illius delectationis. Nam si sentit se moueri ab opere cogitato, iam habet morosæ delectationis naturam, si verò à cogitatione noua aut mira aut subtili, &c. iam habet quod non est delectatio morosa: quoniam morosa delectatio est de opere malo cogitato.

Secundum, an delectatio sit de ipso opere malo cogitato, an de malo operandi cogitato. Verbi gratia: occurrit cogitatio de furto vel rapina, & concurrunt cogitandi multi miri modi rapiendi vel furandi. Nam si delectatio sit de furto vel rapina, est morosa. Si vero de miris & similibus modis, non est delectatio morosa, quum modi isti sint admirabiles: & naturaliter delectabiles cogitandi animæ. Tertium est inter cogitatum malum opus simpliciter & absolute, vel relatum ad cogitantem. Stat enim quod opus esset peccatum alicui, & alteri non. Et hinc differne tria. Primò, quod vidua quæ delectatur de præteritis actibus cõiugii, nõ peccat mortaliter: quia delectatur de operibus sibi licitis pro tẽpore quo fuerunt licita. Plus est enim explicitè approbare, quàm delectari, sed constat quod vidua licitè approbat præteritas

præteritas

108 Delectatio morosa.

præteritas delectationes: ergo. Peccat tamen venialiter in huiusmodi memoria: quia caret tam necessitate quàm pietate huiusmodi delectatio. Secundo quòd quamuis licitè cupiat quòd delectari cum aliqua muliere conditionaliter, scilicet si esset vxor sua (quia tale opus tali conditione relatum ad sic capientem, est licitum) delectatio tamen voluntaria, quam iste in præsentem acciperet de tali opere cogitato cum illa, esset delectatio morosa: quia præsens delectatio non fertur cum conditione, sed de facto habetur sine conditione: desiderium autem est, quod cum conditionali fertur super opus. Vnde religiosus, & si non peccat mortaliter cupiendo delectari cum muliere, si esset sua vxor, peccat tamen mortaliter voluntariè se delectando in actu carnali cogitato cum illa, si esset vxor sua propter dictam rationem: quia conditio excusat desiderium futuri, sed non delectationem præsentem. Tertio, quòd vir cogitans de vxore absente, & actu coniugii, & voluntariè delectatur de illo, non incidit in morosæ delectationis crimen: quia de actu sibi licito tunc delectatur absolute: quamuis peccet venialiter: quia nec necessitas, nec pietas suadet sibi talem mentis occupationem. Quartum est (quod à principio diximus) inter obiectum, & obiectum. Nam si opus cogitatum delectans est veniale, delectatio erit venialis: & si mortale, & mortalis. Et hinc fit vt voluntaria delectatio de muliere pulchra visa vel videnda, non, nisi veniale peccatum sit: quia videre mulierem pulchram, non plus quàm veniale peccatum est, quando peccatum est. Voluntaria autem delectatio de muliere pulchra libidinose amplexata seu osculata, vel amplexanda, seu osculanda, peccatum mortale est: quia huiusmodi amplexus & oscula, peccata mortalia constat esse.

Aduerte demum diligenter pie lector, vt hæc quæ diximus,

Delectatio morosa. 109

diximus, formaliter intelligas, non decet enim loqui docendo nisi formaliter. Excusamus siquidem multa. Stando infra terminos, de quibus est sermo, quæ tamen aliunde possunt damnari. Verbi gratia: dicimus quod memoria delectabilis in vidua excusatur, verum est, si nihil aliud adiungatur: sed si adiuveris, quod hinc in vidua insurgunt in concupiscibili appetitus, aut in carne commotiones, oportet ad regulas de annexis malis aut periculis recurrere. Et simile est de aliis iudicium.

Circa morosas delectationes notato adhuc tria: scilicet occasionem, libertatem, & intencionem. Potest siquidem occasio delectationis esse voluntaria & licita: ut quum quis gratia componendi, prædicandi, disputandi, consulendi, vel ex audientia confessionum cogitat aliqua vnde delectatio surgit. Vel voluntaria & non licita: ut quum quis ex vanis & sensualibus verbis dictis aut auditis, vel ex vano visu aut tactu incidit in huiusmodi delectationes. Vel inuoluntaria: ut quum sese offerunt præter intencionem huiusmodi phantasiæ delectabiles. Nunc enim fit, ut quum homo aduertit se huiusmodi delectabilibus inuolui, & negligens est, magis imputetur negligentia illi qui ex occasione voluntaria & illicita, quam illi qui ex inuoluntaria, & minime imputetur illi qui ex occasione necessaria aut pia in delectationes huiusmodi incidit.

Inter subiectionem quoque corporis vel patris sensualis ad rationem, differentia est: quod corporis partes (puta manus & pedes) obediunt seruiliter, hoc est absque libertate. Moueo enim manum quando volo, & versus partem quam volo, nulla existente in manu libera existetia. Appetitus autem sensualis obedit quidem rationi, sed politice, hoc est cum libertate resistendi. Habet enim proprium motum ac impetum, quo

110 Delectatio morosa.

concupiscit aduersus spiritum. Et hinc fit, vt non ita imputetur motus delectationis homini, sicut imputatur motus manus: & non sit signum sufficiens ad probandum consensum tacitum sola perseverantia delectationis post aduertentiam sicut perseverantia motus manus sufficit ad contuincendum consensum aduertentis, nam pars sensualis potest perseverare, ex proprio impetu: quod non habet locum in manu. vnde similitudo quæ data est superius inter continuationem motus manus, & continuationem motus delectabilis postquam homo plenè aduertit, intelligitur quatenus iste motus pendet ex ratione, ita quòd postquam homo plenè aduertit, & adhuc perseverat in cogitatione delectabili & opere malo, vt sic, conuincitur consentire in delectationem, pro quanto delectationis motus pendet ex ratione, & non absolutè. Intentio denique hominis contuenda est quòd tendit. Nam postquã plenè aduertit, si negligit, vt delectetur de illo malo opere, committit formaliter peccatum delectationis morosæ. Si autè negligit quidè, sed non vt delectetur de illo malo opere cogitato, sed ex quadam tepiditate, seu aliquo huiusmodi, nõ incurrit formaliter delectationem morosam: ac per hoc non peccat mortaliter, nisi exorbitatio fuerit tanta, vt quasi ideo neglexerit, vt delectetur. Nam sicut detrahens non intentione detrahendi, non peccat mortaliter, nisi læsio famæ fuerit tanta, vt quasi intenderit ille detrahere, dũ non curauit tantam læsionem famæ inferre: ita qui negligenter ac per hoc materialiter delectatur de malo opere cogitato, non delectetur de illo, non peccat mortaliter, nisi inuolutio fuerit tanta, vt redeat in naturam suæ formæ: vt quasi ideo neglexerit vt delectetur, dum non æstimauit tam notabiliter se tali delectabili inuolui. Et hinc habes vnde post plenam aduertentiam multas neglig

negligentias excuset à peccato mortali, quia parue sunt, in his præcipuè qui habitualiter in animo gerunt se potius velle mori, quàm peccare mortaliter: Si enim contingit hos esse negligentes in huiusmodi cogitationibus delectabilibus, non est eorū negligentia ex affectu ad delectationē de illo malo opere quod cogitatur. Nec detinentur à tali delectabili vt sit, sed magis ab aliqua passione concupiscentiæ, quæ sine tali delectabili detineret. Et, vt puto, nusquā aut rarissimè sic habituati, in antedictam negligentiam mortalem incidunt. Et hæc ita accipiuntur ad excusandū, vt non soueant ad negligendum.

Derisio in proximum versa, quemadmodum diuersimodè fieri potest, ita diuersimodè damnanda est.

Derisio seu irrisio quæ verbis, aut cachinnis, subannatio, quæ naso rugatu, illusio quæ factis fit, pro quanto quandam deiectionem proximi importat, peccatum est: quia rationi rectæ aduersatur, vt ad hoc paruipendatur proximus, vt erubescat. Est autē quandoque veniale peccatum: vt quum iocose quis paruū aut de paruo deridetur, parua enim erubescencia quasi pro nulla reputatur. Et quandoque mortale: vt quum in iocum deducitur quis, quasi non sit tanti, vt debeat æstimari. Interuenit siquidem tūc maximus illius contemptus, & maior quā in contumeliā & detractionē: quia licet contumeliosus deprimat honorē, & detractor famam, neuter tamen ad tantum personæ contemptum peruenit ad quantum venit irrisor, pro fatuo aut nihilo habens & haberi volens eum quem irridet, vt erubescat comparere inter homines. Et hoc etiam peccatum graue valde, intellige etiam formaliter, hoc est quando fit ex intentione irridendi, quod est tantò grauius, quanto

de